17

Q. F. F. F. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

MELANCHOLIA

EX UTERO,

In Puerperâ obſervatâ & curatâ,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO ULRICO,

DUCE WURTENBERGIÆ, TECCIÆ, ET IN SILESIA OELSNÆ, COMITE MONTISBELGARDI, DYNASTA HEIDENHEIMII, STERNBERGÆ ET MEDZIBOHRÆ, ETC. ETC.

CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DECANI SPECTABILIS

DN. IRENÆI VEHR,

MED. D. & PROF. PUBL. PRIMARII, ARCHIATRI REGII & ELECTORAL. PRUSSI-BRANDENBURGICI, FACULTATIS SUÆ SENIORIS,

Dn. Patroni & Præceptoris ſui æternum colendi,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI,

Publico placidoq; Examini

Exponetur

â

GOTHOFREDO SCHULTZIO,

Cüſtrino Neo-March.

Ad D. XXIV. Decembr. M DCC V.

H. L q;. C.

FRANCOF. ad VIADRUM, Literis CHRISTOPH. ZEITLERI.

HISTORIA.

FOemina XX. & aliquot annorum, Temperamenti melancholici, Puellam peperit. Partus fuit laborioſiſſimus: Lochia ſatis copioſè primo, ſecundo & tertio die fluxére: Quarto autem imminutus fuit Fluxus; quinto planè ſubſtiterunt, niſi quod Materia quædam alba profluxerit. Indè ſecuta eſt Cephalalgia cum Agrypniâ, & hanc variæ exceperunt, eæque fere triſtes, Cogitationes & Sermones Deſperationis indices, cum ſuffocationibus, Anxietatibus & maximis circa Præcordia anguſtiis. Cibi interim & Potus uſu parciore exiſtente, tandemq; penitùs neglecto, Abdomine intumeſcente, Ructibus è Ventriculo non ſine moleſtiâ erumpentibus, alvo adſtrictâ, Urinâ turbatâ, Pallore & macie Faciem occupante. Lochiis interdum, quamvis paucioribus, redeuntibꝰ, ægra etiã cum ſomno in gratiam rediit, eôq; diſcuſſô ad omnia meliꝰ ſe habuit: Illis iterum interceptis, graviſſimis denuò mæſtiſſimisq; cogitationibus diverſis, damnationis æternæ metum incutientibus, atque αὐτοχειρίαν *ſvadentibus, afflicta eſt. Quod animadvertens vocatus Medicus, potiſſimam operam in Lochiis promovendis ponendam cenſuit, poſuitque in iis, pariter ac menſtruo fluxu deindè, modicè augendô, non infeliciter. Quamvis enim (eo interim Præſagio munitus, quod, ob curationem aliquamdiu dilatam atque altiùs adeò fixas morbi radices, ſubitam mali, ægrè alioqui cedere ſoliti, profligationem promittere non poſſet,) negotium ſibi quodammodò longius graviusque fore crederet ipſe; anticipavit tamen Opinionem ipſius exoptata atq; amicis omnibus grata Sanitas: liberaliùs iterum, poſt exacta Puerperii tempora, redditô non intempeſtivè lunari Tributô. Conſtantiorem enim ſomnum in ejusmodi ſtatu mox experta ægra, ſenſim ſublatas etiam ſuffocationes & anguſtias*

Pectoris, animum verò pacatiorem, & cogitationes magis ordinatas magisq; lætas, ſenſit. Neque ampliùs ſive de violentis manibus ſibi inferendis, ſive de metuendâ ſibi irâ divinâ, quicquam, inter ſermones moresq; omnibus modis compoſitos, afferre ſuſtinuit: In Laudes potius quotidianas Dei auxiliatoris ſui intenta.

EXPLICATIONIS
SECTIO I.
De Nomine, Specie, Deſcriptione & Subjectô Affectus ægram infeſtantis.

§. 1.

Delirii non levis Specie aliquâ non rarâ, Melancholia aliàs & quidem ſtrictè nuncupatâ, affectam præcipuè afflictamque hanc ægram, ut crederem ſimul atque perhiberem, perſvaſit facilè Signorum, quæ communiter dici ſolent, Diagnoſticorum Melancholiæ præſentia. Quam ne temerè tunc animo concepiſſe, vel etiamnum tenere, atque adeò nubem pro Junone amplecti, quod vulgò dicitur, videar; clariùs meminiſſe juvat *Mœroris* juxta atque *Timoris*, ceu duorum Characterum univerſalium & Teſtium mali melancholici infallibilium: Indice magno HIPPOCRATE noſtro, *Aph. XXIII. Sect. VI.* ſcribente: ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον: *Si metus & Triſtitia longo tempore perſeverent, melancholicum eſt ſignum.* Utrumque hoc Pathema, qnamvis κατὰ τὸ ῥητὸν non commemoret Hiſtoria præmiſſa, haud difficile tamen de iisdem percipere licet ex iſtis illius verbis: quæ docent Lectorem, agrypniam in ægrotâ ſecutas eſſe varias ferèq; triſtes Cogitationes, & Sermones

mones deſperationis indices. Sunt enim triſtes Cogitationes plerumque cum mœrore conjunctæ, atque cum δυσθυμία Hippocratica coincidunt: Sermones autem deſperationis indices Metum & Timorem promtè inſinuant. Sperantes enim Homines adeò non peſſima omnia metuunt: Uti nihil non adverſi ſibi eventurum deſperabundi imaginantur.

§. 2.

Ex quibus ipſis, hac ratione, breviter adductis, cùm facilè diſpaleſcat, Melancholiæ vocamine non aliter me uti, quàm eo ſignificatu, quô Conſtitutionem aliquam p. n. Corporis humani, & quidem Symptoma Facultatis animalis, non tàm auctæ vel imminutæ, quàm depravatæ; ſive Delirium ſingulare, & ſtrictiore ſenſu (pro rationis ſimul & Imaginationis Corruptione) ſumtum, Timorique & Mœrori conjunctum notat: Non magnopere laborandum mihi video in πολυσημεία illius explicandâ, ad declinandam ejus ambiguitatem; quippe quæ facilè perit, ſi quis Voculas adjectas attentiùs conſideret. Attamen, ne minùs explicata dediſſe videar, quæ ad Onomatologiam hujus Thematis ſpectant, placet in Homonymiâ ejus Vocis evolvendâ parumper verſari, (quandoquidem ſecundum tritum Canonem, *ſuperflua non nocent*;) atque obiter nonnulla de Origine illius attingere.

§. 3.

Certum equidem, quod in Foro Medico ſubindè de ſubſtantia Vox iſthæc uſurpetur, Humoremque non rarò deſignet, aliàs ex naturæ inſtituto evenientem, aliàs præternaturalem & ſanitati minùs amicum. Per Humorem naturalem Melancholicum, intelligunt modernorum aliqui, Liquorem illum limpidum, in Pancreatis glandulis conglomeratis ſecretum, atq; per peculiarem Ductum, Virſungianum dictum, (quòd inventio ejus Virſungo Medico Patavino accepta feratur,) ad inteſtinum Duodenum, Bilis eò confluentis temperandæ gratiâ, chylique perficiendi cauſâ, delatum. Superioribus verò temporibus eâdem appellatione notata eſt Pars maſſæ ſanguineæ craſſior, ſive in

Hepate ſive in Liene, ut credebatur, ex Chylô provenients; quam Limoſum Sanguinis cum JOH. ANTONID. VAN DER LINDEN *Meletem medic. Hippocr. l. 3. §. 45.* nonnulli vocaverunt. Præternaturalis Melancholia nuncupari ſolet, ſive, imitatione ſuperioris ætatis, crasſior ſanguis Hepaticus vel Slpeneticus, nimiâ quantitate aut ſingulari alienatione productus; ſive, ad mentem laudati LINDENII, Limoſum Sanguinis, vel nimiùm invaleſcens, vel ſingulari alienatione ita degenerans, ut atram Bilem referat: ſive, ſecundum placita Recentiorum, Succus antedictus Pancreaticus diverſimodè corruptus. Præſertim ſi acidior magis aut penitus corroſivus, ſimulque terreſtris, lentus vel viſcidus fuerit, Bilem ferè atrô colore in confluxu inficiens: A quâ ſic comparatâ, nomen Melancholiæ, (ſic dictæ quaſi μέλαινα χολή) procul dubio præeuntibus Autoribus Græcis, ab initio manavit. Pariter verò pro Accidente aliquo morboſo ſumi eundem Melancholiæ Terminum, Veterum juxta & recentiorum Scriptorum Lectio confirmat. Quippe quâ docemur, latiùs aliquando acceptô illô, quodlibet Delirium minusq; majusque, leve non minùs quam grave, remisſius perindè & vehementius, atque ipſam adeò Maniam (prolixiùs ante annos aliquot in Diſput. Inaugur. de eâdem, ſub Præſidio Excellentiſſ. Dn. D. Præſidis expoſitam) quin etiam Miſanthropiam (uti GRÜLINGIUS *Medic. pract. l. 1. Part. 1. p. m* 25. indicat; ubi & affectum ipſum planè deſcribit: Cujus verò Exemplum peti poſſe exiſtimo ex MART. RULAND. *Curat. Empyr. l. 1. p. 27.* aut etiam, nonnullorum judicio, ex Hiſtoriâ ſacrâ Nebucadnezaris ap. Danielem: quamvis alii aliter de affectu Regis illius ſentiant. *Conf.* BARTHOLIN. *de Morb. Bibl. XIII. pag. 68.*) interdum appellari: Sœpiùs autem in ſtrictiore ſenſu uſurpatô illô nuncupari Depravationem Phantaſiæ (vel Phantaſiæ ſimul & Ratiocinationis,) febris furorisque expertem; mœrorem autem & metum conjunctisſimos, nec non monſtroſos varios Conceptus comites habentem. De qua pluribus conſuli merentur SENNERT. *Medic. pract. l. 1. Part. II. c. 8. & ſeqq.* THONER. *Obſ. l. II. p. 98.*

FR.

Fr. Joel. *Oper. med. Tom. II. l. I. Sect. II. p. 49.* Etmüll. *Oper. Tom. II. p. 946.*

§. 4.

Hujus generis fuiſſe illam Fœminæ, in cujus hiſtoriâ extricandâ occupamur, etſi iteratò dictum ſit, nondum tamen ſatis dictum eſt; ſed ulteriùs differentiis Affectûs illius indicatis, Species mihi ea aſſerenda, quam in ipſa Diſputationis inſcriptione adſcripſi. Quod igitur illas concernit, ex laudato Sennerto *l. c. p. 344.* Gu. Rolfincio *Epitom. Meth. Cogn. & Cur. Aff. partic. L. I. part. I. cap. 17. p. 71.* aliisque Pathologorum celebriorum monumentis, intelligere eſt: Eſſe aliam ἰδιοπαθικὴν ſive *Eſſentialem*, quæ etiam *Cephalica* quibusdam audit; aliam συμπαθικὴν, ſive *Conſenſualem*: Eamque ex conſenſu vel totius, aut Cordis, â quo *Cardiaca* cognomen nacta eſt; vel plerorumque abdominis viſcerum, *latiore ſenſu Hypochondriacam* vocatam; vel Ventriculi, (unde exortum peculiare Delirium, *Diſputatione Inaugur. de Delirio ex Ventriculo*, ſub Moderamine Dn. Præsidis ventilatum eſt, ante annos pluſculos) *Stomachicam*; vel Jecoris, *Hepaticam*; vel Splenis, *Lienarem* & utramque hanc *ſtrictiùs Hypochondriacam*; (quam tamen à *paſſione & affectione Hypochondriacâ* non malè aliqui diſtingvunt) vel Meſenterii, *Meſaraicam*; vel Matricis, *Hyſtericam* nuncupatam.

§. 5.

Quibus ſingulis ad animum revocatis, nulli omnium æquè commodè ſubordinari poſſe videtur ea, de quâ Hiſtoria præſcripta refert, quam illi, quæ ultimô locô commemorata eſt. Cum enim ante imprægnationem & Partum, nihil incommoditatis, certè non tantæ, nec tantoperè ſe prodentis, Ægra noſtra ſenſerit; illius præcipue partis culpâ, cujus functio eſt partus, eveniſſe quicquid evenit, minimè dubitandum eſt. Eſſe vero functionem illam Uteri, cum notô notius ſit; quidni ex utero fluxiſſe ea, quam ſubiit, Melancholia dicatur.

§. 6.

§. 6.

Hôc verò agnitô, ſimulque confirmatâ veritate Rei, in ipſo titulo inſinuatæ, uberioris deinde declarationis ergo, afferre nonnulla juvabit, de Diverſitate *Melancholiæ Hyſtericæ* ſive uterinæ. Tametſi autem variis variorum ſuffragiis iſthanc firmare liceret, unus iterum SENNERTI locus, præmultis aliis, mihi ſufficit, *L.* 1. *Prax. part.* 2. *cap.* 13. *p. m.* 404. his verbis comprehenſus. *Malum hoc* (loquitur verò de Melancholiâ ex uterô) *virginibus jam nubilibus familiare eſt, cum Sanguis ad uterum confluens ibiq; exitum quærens, exitum non invenit. Deinde viduis, imprimis ob curas & mœrorem animi, in quem ob mariti obitum plerumq; conjiciuntur: Ut & aliis fœminis, quibus menſes, aut poſt partum purgationes, ex aliquâ cauſâ evidente ſupprimuntur aut non recte fluunt.* Nimirum unde facile eſt animadvertere, Melancholiæ Hyſtericæ generum, aliud quidem, atque idem frequentius, â Sanguine Menſtruô præter naturaliter ſuppreſsô, tùm promiſcuè in omnis conditionibus mulieribus pubertatem aſſecutis, tùm in Virginibus viro maturis, atque Viduis juvenculis, aut muliebria adhûc per ætatem, patientibus, paſſim ſeſe offerre: Nec deeſſe verò aliud, quod in maritatis, occaſione itidem Menſtruorum, (ſed ex naturæ inſtitutô, tempore imprægnationis plerumque emanentium,) ſenſim initia capiens, atq; in aliquibus quandoque ſatis invaleſcens, cum, ſuperveniente denique partu & ritè poſtea ſuccedentibus Lochiis, præcaveri potuiſſet; his tamen ſive interceptis, ſive planè cohibitis, ſubinde accidat.

§. 7.

Alterius, atque poſterioris quidem, generis obſervandam cum puerpera noſtra obtulerit; licuiſſet quidem, imitatione *Cl.* ROLFINCII *Conſult.* 7. *L.* 2., duos affectus principales, eorumque ſecundum *Lochiorum interceptionem*, ſtatuere atque asſignare: Quandoquidem autem per hoc ipſum ſymptoma, Differentiæ *Melancholiæ Uterinæ* accenſendus venit ægrotæ ſtatus; in unicô eô acquieſcere placet: Ceu Signis ſuis *pathognomonicis*, aut *Eſſentialiter inhærentibus*, ſub initium

hujus

hujus Sectionis jamdum comprobatô. Comprobandô autem ulteriùs hôc locô, ex *Eſſentialiter conſequentibus* ſive ſymptomaticis aliis ſignis: Ceu ſunt in *Facultate* dicì ſolitâ *Naturali*, fluxus materiæ albæ ex genitalibus, cibi & potus parcior uſus tandemque neglectus, intumeſcentia abdominis, atque moleſti è ventriculo ructus; In *Vitali*, ſuffocationes, anxietates & maximæ circa præcordia anguſtiæ; In *Animali* Agrypnia ac Cephalalgia; In *Excretis* alvi ſegnities, mictio turbida: In *Qualitatibus mutatis* pallor & macies. Quæ ſingula accidentia ut ex cauſis ſuis, unà cùm illis, quæ prægreſſæ (pariter ac ſimilitudo Status, in quô obſervata eſt patiens, cum Melancholicarum Hyſtericarum, quas Medici Experientisſimi vocarunt, aliarum conſtitutione) morbum quoque, quem diximus, manifeſtarunt, eruantur, Sectione ſeqq. operam dare propoſitum eſt. Hujus verò terminum, poſt *Definitionem*, aut qualemcunque Deſcriptionem evidentiorem Melancholiæ, Hyſtericæ, quæ in hanc ægram incubuiſſe deprehenſa eſt, in *Subjecti* ſive *Sedis affectæ* determinatione conſtituo.

§. 8.

Definitio hæc ſit: Melancholia ex utero, quâ correpta eſt certa Puerpera, aliquot ab enixu filiolæ ſuæ diebus, fuit delirium (ſeu depravatio imaginationis, & quodammodo ratiocinationis) ſine febre & furore, cum timore & mœſtitiâ, variisque ſymptomatibus aliis; profectum à phantaſmate tenebricoſô, Spiritibus animalibus minus puris & lucidis, ex Maſsâ Sanguineâ, per Lochia intercepta inquinatâ, ac in vaſis uterinis vicinisque ſtagnante, productis, debitô.

§. 9.

Quantum ad Mali hujus *Sedem*, eam in Spiritibus animalibus, (quibus vitales etiam cum Corde addit Willis.) ponendam eſſe putavi, hodieque exiſtimo. Illorum autem tum Exiſtentiam & Eſſentiam, Domicilium in Nervis ac

B tran-

tranſitum per eosdem, locum & modum generationis, omnemque adeò naturam hic contemplari, etſi minimè inconveniens eſſet; Brevitatis ergo tamen abſtineo, atque Benevol. Lectorem ad Recentiorum Phyſiologorum, in hac materià admodùm deſudantium, ſcripta remitto. De *Cauſali* autem *ſubjecto* ſiquidem porrò quæſtio ſit, atque in ſolidiore quâdam corporis parte idem conſtituendum videatur; vi ſuperiùs traditorum, *Uterus* imprimis cum membris connexis indigitari poſtulat. Ex eo enim tanquam, ex Equô Trajanô, plurima, tum reliquo Corpori infeſta, tum ipſam Mentis Arcem impugnantia prodire Symptomata, in conceſſo & confeſſo eſt apud plerosque Pathologorum. Verisſimè acutisſimus HARVEJUS *Exercit. de partu p. m. 519. Uterus*, ait, *eſt Pars principalis, quæ totum Corpus facilè iu conſenſum trahit. Nemini ſanè, (paulum ſaltem exercitato) ignotum eſt, quot prava ſymptomata, uteri Perverſio & Convulſio* (ſub quâ etiàm aſcenſum & deſcenſum comprehendit) *concitent: Quàm ſtupendas animi aberrationes, Melancholias & Furores, affectus uteri p. n. incutiant.* Sic Epilepſiam & inſultus convulſivos ex Utero originem habere, teſtantur Verbis, *Roderic. à* CASTRO *de Morbis Muler. L. II. S. I. c. 2.* Exemplis, *Lazar.* RIVER. *Obſ. XXXI. Cent. II.* TIMÆUS *V. G. Caſ. Medic. L. 1. p. 27. Gregor.* HORST. *Obſ. XLVIII. L. 1. Part. II. de Morb. Mul.* Aliarum miſeriarum in ſexum fæmineum, ex hôc fonte fluentium meminere alii. Mihi, misſis reliquis, placet paucis tantùm attingere Delirium, illud, cùm immani veneris appetitu conjugatis æquè ac innuptis ſubindè eveniens, quod Furorem uterinum aut Nymphomaniam appellare ſolent. De eô enim ſi quæras, unde oriatur? non niſi ex uteri, reſpondebo, ac in eô contentorum Vitio oritur. Ex ſalacitate nempe nimiâ Mulierum: vel ob Seminis, juxta Veteres, Retentionem diutinam; vel, quod modernorum dogma eſt, Ovariorum turgeſcentiam Spirituumque in iisdem orgasmum. Quo quidem affectu detentarum Exempla legas apud HORSTIUM *L. 2. de Morbis Cap. Obſ. XIV. p. m. 111.*, *Felic.* PLATER. *Obſ. L. 1. p. 81.*

l. p. 81. Harvejus pariter Nobilem quandam commemorat, Furore tali ultra Decennium delirantem, ſed uteri Prolapſu, quatenus nempe hoc ipſo Humores deferbuerint, reſtitutam. *l. c. p. 510.* Ceterùm ſi in locum Uteri, cujus causâ hæc adducta ſunt, *Hypochondria latè* dicta, quispiam ſubſtitui velit, eum eô ſerram contentionis me non reciprocaturum eſſe, ex ante ſcriptis haut difficulter colligere licebit.

Sectio II.

Ætiologica.

§. 1.

IN Uterô, ſæpius ſuperius nominatô, atque circa illum, Sangvis particulis nutritivis & ſpirituoſis ſub circulatione (hodie apud omnes ferè certâ) exutus, Melancholicus appellari ſolitus, quem per Menſes aut (quomodo purgationes poſt partum dici conſveverunt communiter) Lochia, ex vaſis uterinis ritè aliàs evacuari novimus, haut raró ſubſiſtit, & (ut voce pasſim receptâ apud modernos Scriptores utar) ſtagnat. Aut, quod uteri Orificium ſtatim, vel non longè, à partu (Lochiorum enim diuturnior mora aut ſuppresſio imprimis h. l. à me attenditur) fuerit conſtrictum; ut nihil vel parum Sanguinis effluere potuerit, quin intra ipſum detentus ſubitòque grumeſcens, ſæva ut plurimùm inducat ſymptomata: (quale quid obſervatum legimus rurſus ab Harvejo *l. c. p. 525.*) Aut etiam, quod Vaſa anguſtiora, tanquam Canales minùs patuli, non liberum humoribus concedant Tranſitum: Aut Sangvis aliâ, qvam debebat, ratione comparatus ſit. Subſiſtendo igitur primam tragœdiam ibidem incipit; inceptam adeò humoribus partibusque vicinis, & ſenſim pluribus aliis, communicat; ſi quid etiam Fomitis aut fermenti (quibusdam vocati) jam alibi lateat, adauget, irritat, impellit; Indeqve Spirituum conſtitutionem p. n. atq;

 eorum

eorum Symptomata varia, ut puta imprimis falſam imaginationem, mœrorem animi & timorem, inducit.

§. 2.

Hinc *Cauſa Conſequens* (illam *Antecedentem*,) & *Immediata* Melancholiæ Uterinæ, eſt Spiritum animalium perturbatio, eorumqve lucis, ut ferè creditur, alioqvi æmulorum, præſertim (in propoſita Definitione nuncupata) obtenebratio. Aut, ſi mavis, ipſum Phantaſma vitiatum, ſeu, (qvale pariter l. c. audit) tenebricoſum. *Mediata* verò *propinquior* Cauſa eſt portio Sangvinis terreſtrior, antiquis æqve ac recentioribus quibusdam acido auſtera putata; quæ ubi ad Caput delata eſt, Spiritus in eôdem ex ſeſe ſimiles præbet, præſentesque conturbat.

§. 3.

Mediata Remotior, ex *Naturalium* cenſu, eſt *Temperamentum* Melancholicum, in quo ſcilicet, ceu certâ Corporis Diſpoſitione, particulæ acidæ, fixæ aliæque fœculentæ & terreſtres ſanguinis, præ ceteris dominantur. Ex eâdem claſſe commemorari cupiunt, *Ætas* conſiſtens, (cui generationem Melancholiæ imprimis adſcribit GALENUS *3. aph. 30.*) nec non *Sexus* ſeqvior ſeu fœmineus; velut timidior & debilior, atque ea propter, experientiâ teſte, in Melancholiam pronior, & pejus plerumque eâdem affici ſolitus: Tametſi, juxta AVICENNAM, viri in hunc affectum magis propendere, ab aliquibus cenſeantur. De *Non-Naturalibus* cauſis poſtea pluribus dicetur: prælibatis nimirum adhùc præcipuis quibusdam de genere reliquarùm remotiùs Antecedentium; utpote *Evacuationibus Sanguinis conſuetis*; (per Hæmorrhoides potisſimùm Menſesque & aliquoties indicata Lochia Mulieribus jam adultis, tam extra matrimonium, quam in illô viventibus, ex ordine Naturæ alias contingentibus) p. n. intermisſis. Tametſi certâ ratione his ipſis locum eſſe poſſe inter Res Non-naturales, Melancholiæ proventum juvantes, nequaquàm diffitear.

§. 4.

Quemadmodum enim, uti plerisque notum, legitima San-

ma Sanguinis per loca competentia Excretio, egregia à magnis multis Morbis, maximèque Melancholiâ, Præſervatio eſt: Ita profectò in utrôque Sexu anſam iisdem plurimam præberi, ſuſpensâ & cohibitâ illâ, certô certius atq; innumeris Practicorum calculis confirmatum eſt. Sic Maniam & Melancholiam à fluxione Hæmorrhoidali, in Fœminis æquè ac Maribus obſervabili, (quomodo innotuit Exc. Dno. Præſidi matrona, ſed ſterilis, alternatim, poſt ſingulos 14. Dies, modò Catamenia, modò Hæmorrhoides apertas experta) non ritè ſuccedente excitari, atque revellendo aut derivando, per V. Sect. repetitam vel Hæmorrhoides ope Hirudinum ſimilique tutâ ratione reſeratas, curari poſſe, non ſemel compertum. Indicante HIPPOCRATE *aph. 21. Sect. 6.* Conf. HOLLER. *Tr. de Morb. Intern. L. 1. C. 17. p. 148.* Ubi Melancholici cujusdam febre malignâ correpti, multaque abſurda proferentis, aſt præter alia remedia Hæmorrhoidum profluvio liberati, meminit.

§. 5.

Pariter quomodo ex virginibus Viri conſuetudinem jam expectantibus, aliisque in Venerem pronioribus, Sangvis Menſtruus vehementer, ad inſtar muſti, effervescens, ſed rimam elabendi per portas Uterinas non inveniens, miris modis multas afficiat, cumulatis apud obſervationum Medicarum Scriptores Exemplis docemur. Sicuti Maniacarum ex ſuſpicione ſuppresſi Menſtrui, meminerunt AGRICOL. *in Not. & Obſ. ad Medic. Chymic.* POPPII, *Part. 1. Tr. de Arg.*, & FOREST. *L. 10. Obſ. 24.* Melancholiam ex inordinato Menſium fluxu circa trigeſimum Ætatis annum obſervatam, posſis videre apud *Mart.* RULAND. *Curat. Empir. L. 1. de Affect. Capit.* De aliâ habet *Hieron.* MERCURIALIS *Conſult. Tom. I. 64.* Quibus etiam experientia non una Excell. Dn. Præſidis addenda. Addere quin etiam liceat exemplum à me ipſo notatum. Erat ſcilicet in Urbe non ignotâ Virgo quædam XV. annorum, quæ tributum lunare jam aliquoties ſolverat, ſed ſolvere idem prohibita, (tametſi hanc cauſam neque ipſa putaret, neque alii crederent) mi-

 rum

rum in modum Melancholico Affectu diſcruciabatur, plorans plerumq; & ploratũ non rarò in miſerabilem Clamorem convertens, plurimùmque uni tantum objecto inhærens, cogitationes profundas præ ſeferens, aut ſilens penitùs, aut in continuos abſurdos Sermones ſeſe effundens. Cui conſulere rogatus, quid Conſilii, quô ſcopô, dedit Medicus? Menſtruum (etſi, pro more fœmellarum, hanc mali Originem non proderet ægra,) ſuppreſſum ſuſpicabatur, adeoque præmiſſo Vomitorio ſola adhibebantur Emmenagoga. Nec perperàm: Excretio enim naturalis exoptata ſpecificisque quæſita Remediis ut primum accidit, omnia ſenſim remiſerunt Symptomata.

§. 6.

Non minùs relatione minimè falsâ, tum ipſarum gravidarum, tùm fide dignisſimorum Practicorum conſtat, Menſes quidem ordinariè poſt conceptionem ſiſti, ipſorumque fluxu, tempore graviditatis, interveniente, tum Matrem tum Fœtum non exiguô exponi periculô: (Unde Prudentisſimus HIPPOCRATES *Aph. 60. Sect. 5. Si prægnanti,* ſcripſit, *purgationes Menſtruæ curſum ſuum teneant, benè valere Fœtum imposſibile eſt:*) Nihilominùs dari quandoq; Mulieres, ad ultimum usque geſtationis in Utero terminum Menſtrua patientes, ſalvô & incolumi Ventris fructu. Qui proin fluxus, (quanquam non tam ex Uteri cavô, quàm ex Vaſis per Vaginam illius diffuſis, fieri cenſeatur nonnullis Phyſiologorum Coryphæis) repreſſus, nec convenienter, remediis corroborantibus potiùs quàm adſtringentibus tractatus, multorum infelicium caſuum occaſio exiſtere putatur. Hinc Menſium fluxum, & V. S. in octavô geſtationis Menſe, absque noxiâ fuiſſe, neque alia pharmaca, præter interpolata quædam confortantia poſtulaſſe: Reiteratam item purgationem & V. S. ſine damnô in gravidis extitiſſe: Ediversô autem Aſthmata, Febres ardentes acutisſimas, quin Melancholiam ipſam, cum convulſionibus Epilepticis, à ſubſiſtentibus, occaſione Conceptionis, Menſibus orta fuiſſe, compertum eſt; & refert

Gregor.

Gregor. Horstius *Obſerv. L. V. Obſ. mea XLVIII. & XLIX., L. II. de Morb. Cap. Obſ. XVII.*

§. 7.

In Puerperis denique, (quibus & noſtra aſſocianda venit ægra) præter alia dira Symptomata, ſæpius dictum Delirium quoque, ex ſimili causâ evenire quis neget? Exhibita jam tum ſunt §. 1. hujus Sectionis quæ huc ſpectant, quibus adjicere posſis ſequentia. Suſpensô (ceu & ſuprà & modò dictum eſt) ordinariè Sangvinis fluxu Menſtruo, per novem decemque, quibus infans in utero perficirur, Menſes, fieri aliter non poteſt, quàm ut circa uterum, unà cum fœtu, incrementa quædam, quà amplitudinem, quà crasſitiem nactum, idem cumuletur; quando autem imminente partu ſecundina à lateribus Uteri abſcedit, pariter non parum Sanguinis ex Vaſis avulſis in cavitatem matricis ruit, indeque cum præfatô ſenſim foras mitti poſtulat. Hoc ipſum quoties citra impedimentum fieri contingit, ſalva Puerperarum res, & conditio puerperii proba eſt: Non item, parciore exiſtente, aut prorſus ceſſante eâdem excretione. Et licet in caſu propoſito Lochia ſatis copioſè primùm, per unum alterumque nec non tertium Diem fluxerint; poſtea quin etiam Materia quædam Chyloſa (de qua Ettmüller. *cap. de Lochior. Vitiis, in Praxi* & Wedel. *p. 209. in Phyſiolog. Med.*, egerunt) ſubinde repullularit: ſatis tamen purgata non eſt. Fluunt quippe purgationes poſt partum non æqualiter, vel eôdem dierum numerô, in omnibus quæ partu defunctæ ſunt: Sed cum aliquæ citiùs ſe abſolvant Excretionis hujus onere, nimirum intra triduum aut octiduum vel decendium; aliæ ſub eôdem diutiùs, & per ſeptimanas aliquas, (licet non continuè ſemper,) detinentur; prouti nempe Corporis Diſpoſitio in Puerperis plus minusque humida vel ſeroſa fuerit: Quid? quod in nonnullis ad ſupervenientes usque Menſtruas depletiones duraſſe notati ſint hi fluores. Quale quid à Doctore quôdam Experientisſimô, non ita pridem mihi relatum, de Puerperâ aliâ, pariter Melancholicâ fa-

câ factâ, non tàm ex Lochiis retentis, quàm quidem ex novô Menſium, aſt inſufficiente, fluxu, Tametſi, quorundam judiciô Lochia & Catamenia non magnopere adeò, ſed in eô tantummodò differant, quòd illa poſt partum eveniant, Menſes verò partum antecedant. WEDELIUS tamen non raro Lochia priùs exſtillaſſe, quam partus ipſe editus fuit, teſtatus eſt *l. c. p. 209.*

§. 8.

Oritur verò (ut nunc ulteriùs ad Res Non-Naturales, jam ante appellatas pergam) talis imminutio ac Suppresſio Sangvinis, ex utero fluxuri; aptaque indè ad Melancholiam Diſpoſitio; poſt habitis ut plurimum Regulis Diæteticis: quippe ad quas adſtringi ſeſe Mulieres ægerrimè ferè patiuntur. Et primum quidem dicendum de admisſione improvidâ Aëris frigidi, crasſi & aquilonii, quali ex temporibus anni plerumque inſignia ſunt Ver propius à Hyeme recedens, & Autumnus ad eundem accedens. Certè maximos ſub hiſce temporibus in Corpore Humano motus Humorum notavit jam olim HIPPOCRATES *aph. 14. 20. 22. S. 3.* A quibus non immunes eſſe Puerperas tantò facilius eſt creditu, quantò notius etiam invulgus eſt, vel exiguis Aeris anomaliis ipſas offendi. Conf ETTMÜLLER. *Tom. 2. de Loch. Retentione.*

§. 9.

Porrò hic adducendus error in cibis acidis aliisque dyſpeptis commiſſus, unde chylus minus laudabilis, terreſtris, craſſus ac viſcidus, in Sangvinem tranſit. Potus item minus conducibilis, nempe fœculentus & turbidus, ſubacidus aut utcuncque acris imprimis autem frigidus, atque aquæ potisſimum gelidæ avidus hauſtus, accuſandus: Somnus quin etiam juſtò paucior aut ſæpius interruptus; quippe qui Maſſam univerſam Humorum turbare, atque totam proinde Oeconomiam animalem mirum in modum offendere valet. Taceo animi Pathemata, Triſtitiam, Iram, Timorem & Terrorem; Ad quorum indolem quippe ipſa Melancholia propiùs accedens, occaſionem tam

tàm Originis quàm augmenti ab illis trahere facillimè poteſt.

§. 10.

Atque his quidem, partim generaliùs, quà Melancholiæ Hyſtericæ natales, partim ſpecialiùs, quà illius, quæ â Lochiis præter naturaliter comparatis exorta eſt, partim Specialisſimè, quà Caſum ab initio delineatum ejusque originem expoſitis, facile erit, opinor, Judicium, de Ordine omnium Cauſarum, quem in cauſando ſervant. Quamob rem declarando eidem peculiarem laborem impendere minùs neceſſarium arbitratus, eam potiùs operam adhuc meam facio, ut ſymptomata diverſa, quæ Sect. 1. velut ſigna Diagnoſtica adduxi, per cauſas ſuas explicentur.

§. 11.

Quod (ſinè causâ quidem manifeſtâ) *triſtis & mœſta fuerit Patiens*, â Spiritibus animalibus minus lucidis & impuris fluxisſe collectu facile eſt ex ſuperiùs traditis. In *timorem* conjecta eſt, ob eosdem ſpiritus â ſolitâ ſuâ agilitate & alacritate deſciſcentes: Non aliter enim ac flamma ignis fumô involuta ſplendore ſuo ordinario deſtituitur, ita hi Spiritus obſcurati per falſa phantasmata metum ægris incutiunt, atque nihil ſibi tutum putant. *Lochia regurgitantantia* erroribus in Diæta commisſis debuiſſe occaſionem, jam tum innotuit ex ante propoſitis. *Fluxus materiæ albæ* fontes detexit §. 7. *Cibum & potum minus appetere*, imo tandem negligere penitùs animadverſa eſt, ob fermentum gaſtricum, propter varias, quæ ad ventriculum confluxere, cruditates & impuritates iners & minùs activum redditum. *Intumeſcentias Abdominis* ſenſit propter uterum non ritè per Lochia depletum. *Moleſtos è Ventriculo ructus* concitavit cruditas viſcida â Menſtruo ſive fermento ſtomachi inproportionatô inibi nata, per impeditam chyli (ut Pathologi quidam loqui amant) ἀέρωσιν, ad particulas illius utiles, dulces, ſvaves evolvendas alioqui non parùm facientem. *Suffocationes*, quas experta eſt, proculdubio magnam partem Hyſtericæ; attamen aliquæ etiam à Sanguine, intra

 pul-

pulmonum vaſa, perinde ut in Viſceribus aliis, ſtagnante obortæ fuerunt. *Anxietates* quibus noctu & interdiu ſubindè afflicta eſt, ab ipſis inflationibus Ventris, & tenſionibus (fortaſsè quoque convulſivis) Diaphragmatis, Ventriculi, Hypochondriorum &c., nec non circulatione Sanguinis paſſim impeditâ, arceſſere licebit. Unde etiam *maximæ circa præcordia anguſtiæ* (ſub quibus Cardialgia nonnulla latere potuit) facilè derivabiles fuerunt. *Cephalalgiam* peperit flatuum vaporumque cerebri membranas ferientium & continui ſolutionem tentantium, in Capite accumulatio. Eademque fores aperuit *Agrypniæ* : Accedente ſuavium exhalationum, ſeu blandæ lymphæ, defectu: nec non perpetuâ animi ſemper meditabundi, inquietudine. *Alvi ſegnitiem* poſt ſe traxerunt, tum Motus Inteſtinorum periſtalticus, ob ſtagnantem etiam in vaſis meſerraicis ſanguinem craſſiorem, impeditus; tum cibationis, eamque conſequentium functionum ad primam concoctionem ſpectantium, neglectus defectusque. *Urinæ turbidæ*, dolorem capitis alioqui, juxtà. *aph. 70. Sect. IV.* præſagientes, mixturam ſanguinis pariter turbatam arguunt. *Pallor & macies* referri facilè potuerũt ad ſuſpenſam aliquãdiu chyloſin, unde Sanguis nutritioni aptus, & recreare languida membra pollens, denique deeſſe cœpit. *Αὐτοχειρίας propoſitum & de ſalute æternâ Deſperatio* reſultavit ex errore Phantaſiæ, Ideam peccatorum eorumq; pœnarum falſam animæ repræſentãtis.

SECTIO III.

Ad Prognoſin & Therapiam ſpectantia continens.

§. I.

PRovidè pariter ac prudenter in utrôque, *Prædictionis* nempe ſimul & *Curationis*, negotiô verſatum eſſe Medicum in conſilium vocatum, cùm res ipſa docuerit; Eventusq; adeò deſideratus abunde probaverit, tam ſuæ ipſum famæ quam ſaluti Ægræ conſuluiſſe egregiè: fruſtra

ſim

ſim, ſi qualicunq; meâ Epicriſi lucem accendere rei ſatis evidenti laborem. Quin potiùs in Exemplum imitationis mihiq; aliisq; Practicis Junioribus facta proponens, paucis indicatum ire ſuſtineo, quid & quomodo fieri debeat ſimili caſu in praxi eveniente?

§. 2.

Prognoſin igitur quisquis, ante ſuſceptam ejusmodi Puerperæ curam, cum ratione inſtituere cupit, nihil temerè de Curatione paucis & ſubitò abſolvendâ promittat: Tàm ratione ſalutis & mortis, quàm longitudinis & brevitatis, nec non modi eventus. Quippè quæ tria Capita alioquin attendenda Semiotices Doctores pasſim inculcant. Mihi verò de ſingulis, quà Melancholiam Hyſtericam accuratiùs agere minimè inſtitutum eſt. Sufficit ex multis hùc ſpectantibus breviter nonnulla attingere. Docuit jam pridem GALENUS vix aliquam Delirationem tàm tutam & periculi expertem haberi, ut non timendum ſit de curatione minùs quàm ſperatur felici: Idq; confirmatum dedit, tum ratione Partis læſæ; quia Nobilisſima: Tum Cauſæ; quæ fixa eſt & dura ad ſanandum. Ex eodem diſcere licet, Melancholiam quò durat diutiùs, tantò magis curationi reluctari. Et profectò niſi maturè ritèque Hydram hanc πολυκέφαλον proſtraveris, ex conſenſuali malô, vel Idiopathicum, vel prorſus (ob majorem perverſionem Humorum) periculoſa propullulabit Mania: Teſte *Coo aph. 56. S. VI.* Is è diversô *aph. 11. ejusd. S.* indicat, ad ſalutem terminatum iri eundem Affectum, ſuperveniente *Hæmorrhoidum* fluxu; Cujus loco Mulieres frequentius experiuntur *Menſtrua & Lochia.* Tametſi loco Menſium ſuppreſſorum Hæmorrhoidalem etiam Sangvinem ſalutariter fluxiſſe aſſerat *Gregor.* HORST. *Obſ. 5. part. 2. de Morb. Mul.*

§. 3.

Methodus medendi tribus nititur *Indicationibus* ordinariis, *Curatoriâ, Præſervatoriâ & Vitali.* Quarum *prima* affectum ipſum Melancholicum atq; Symptomata illius auferre ſvadet; *Altera* Cauſas ipſius reſpicit, atq; Antecedentes

tes ſimul & Conjunctas, imprimis autem Lochia moram nectentia & imminuta, corrigit: *Tertia* conſiſtit in virium proſtratarum inſtauratione & legitimâ naturalium conſervatione. *Auxiliorum* verò operationibus hiſce Medicis reſpondentium *Materiam* multiplicem ſuppeditat *Fons* triplex, *Chirurgicus*, *Pharmacevticus & Diæteticus.*

§. 4.

Ex *Chirurgicô*, ante alia præſidia, de V. S., Generoſiſſimo Remedio, diſpiciendum. Sanè in morbis à Suppreſſa Sanguinis evacuatione oriundis, magni eam exiſtere momenti, fatentur celeberrimi Practici; idemque abundè confirmarunt Caſus varii Puerperarum Lochiis deſtitutarum, pasſim notati: in quibus Sanguinis misſio, vel ex Brachio, vel, pro re natâ, ex Venâ aliquâ Crurum, præſertim Saphænâ, (quamvis non contemnenda quorundam ſententia ſit, principio ab Artubus ſuperioribus, poſteà ab Inferioribus detrahendam Sangvinis ſtagnantis molem,) celebrata maximè profuiſſe obſervata eſt. Nec dubitaverim verò Dn. Medicum in Hiſtoriâ nominatum eam citiùs inſtituturũ fuiſſe, niſi obſtacula quædam, qualia ſubinde deprehenduntur, minimè negligenda reperiſſet. Quibus verò alioqui occurrentibus, in locum *Blebotomiæ* veniunt non rarò utiliter *Hirudines* (Gallis & Italis viciniſque Polonis ſatis familiares) aut *Cucurbitulæ* vel cum vel ſine *Scarificatione*, ſive ſuris, ſive interiori Femorum parti applicandæ: Quin & *Frictiones*, (poſt pediluvia congrua) pannis aſperis & calidis perficiendæ.

§. 5.

Ex *Pharmacevticô* penu, *Cephalica*, *Cordialia* atque *Antiſpaſtica*, præ ceteris verò *Utero proſpicientia* atque *Lochiorum fluxum promoventia* attendenda ſunt. Cujusmodi cum varia indicari posſint, brevitatis amore, in paucis placet acquieſcere. Uti ſunt ♁. *Diaphor. ſimpl. aut ♂le*, *Croc. orient.*, *Myrrh.*, *Succin.*, *Caſtor.*, *Schœnant.*, *Rad. Petroſelin. & gramin.*, *Cicer. rubr.*, *fol. Malv. & Mercurial.*, *Cinnabarina*, *Sperm. Cet. &c.* Utpote quæ inſigni pollere Virtute Sangvinem grumoſum

moſum viſcidumque reſolvendi incidendi, propellendi, à Practicis non ſemel compertum. Ex hiſce diverſimodè præparatis poſſunt concinnari *Pulveres*, *Pilulæ*, *Potiones* vel *Mixturæ ſimiles*; & quantitate aliàs majore, aliàs minore in uſum trahi: In vehiculis convenientibus, ceu ſunt ▽*a Puleg.*, *Matricar.*, *Fœnicul.*, *Cherefol.*, ſigillatim *Hiſpanici*, *Serpill.*, *Meliſſ.*, quæ maximè Sanguinem corrigere Spiritusque ſerenare dicitur. Si Decocta placeant, eorum exempla *ex Rad. Aperientibus & Herbis Attenuantibus*, petere licebit ex D. *Joh.* MICHAELIS *Prax. Clinic. General. Part. 1.*, *L. V. Cap. XXXVII. Tit. VII. p. m. 280.* Autoribusque aliis, etiam quà alias varias formulas, laudatis à *D. J. Phil.* GIESWEIN. *in Hodego Med. p. 1480. ſqq.* Speciatim *Elix. Proprietat.* non acidum, *c.* ♁*tu Meliſſ.*, *Serpill.* aut ⊖✳*ci vinoſo*, vel imitatione CLAUDERI *Tr. de Balſamat.* paratum & *Eſſæ* aut *TRæ Caſtorei* copulatum; pariterque *Eſſa. Lignor. D. M. c.* ♁*tu fumar.* aut alio convenienti Menſtruo facta, nec non *Liquori præcipit. Cl.* maritata, commendationem poſtulant.

§. 6.

Juſtô quin etiam à partu tempore, purgans dandum è *Rhabarbaro* (e. g. *Decoct. Senn. c. Rhabarb.* MYNSICHT.) *Agaric.*, *Mechoacann. alb.* &c. additis non nullis ſpecificis jam citatis. Aut *Clyſter*, ad Exemplum MICHAELIS *l. a.* ſimiliq; ratione compoſitus. Veluti alioquin (extra Puerperium præſertim) in principiô ſtatim Melancholiam quamcunque ſe *Emeticis* curaſſe, teſtatur præ ceteris HARTMANNUS *in Prax. Chymiatr.*; & comprobat *Experientiſſ. Dn.* PRÆSES, qui Melancholiæ uterinæ, in ſpecie à Menſtruis ſufflaminatis ortæ, evidentisſimum ſtatim ſolamen à Vomitorio accesſiſſe, non ſemel advertit. Inter *Cardiaca*, §. anteced. dicta, plurimùm valent *Tinctur. Corallior.* præſertim *c.* ♁*tu Cord. vel C. C.* paratæ. *Cephalica ſpecifica* ab æſtimatoribus Medicamentorum Chymicorum Metallicorum perhibentur inprimis ☽*aria*. De quibus vid. AGRICOL. *l. c. Tr. de* ☽*â*, & MYNSICHT. *Armamentar. Medico-Chym. S. 1. de Arg. potabil. p. m. 9.* Topicorum materiam dare poterunt Plantæ & Radices emolli-

mollientes atque Uterinæ ex prælaudatis. Naribus Temporumque regioni applicare juvabit, tempore ſuffocationis, vel ⌒*tum* quendam *Salinum Volatilem*, vel Mixturam ex ▽. *Hirudin. c. Caſtor.*, *Meliſſ. ſimpl. vinoſ.*, *vel. compoſ.* &c. vel *Sal. Volatil.* ſiccum aut liqvidum *oleoſum*, & præcipuè *ſuccinatum*; ut & *Liquorem C. C. ſuccinat.*, aut *Balſam. Succin.*, cujusmodi ſingulare commendat *D. Phil. Jac.* HARTMANN *Prof Regiomont. Hiſtor. Succin. Prusſic. S. 4. Cap. V. p. 31.* Additis *Oleis Citr.*, *Meliſſ.* &c. Sicut & ipſum *Succinum* ſuffitu in tali caſu prodeſſe, innuit *Gregor.* HORSTIUS, *de Morb. Mulier. Obſ. VIII.*

§. 7.

Ex *Diætetico* fonte ſufficiant aliquot Regulæ. *Aër* ſit temperatus, ad calorem tamen inclinans, liber atque purus. *Cibi*, ad quos capiendos ægræ omnis generis perſvaſionibus invitandæ, eligantur boni ſucci, grati ſaporis facilisque coctionis: Contrà, qui viſcoſos & craſſos præbent Humores, ſedulò fugiantur. Quod pariter de *Potu* tenendum, qui nec turbidus hauriatur, nec frigidus. *Somnus* quocunque modô juvandus; *Conceptus falſi* demonſtrandi & disſvadendi: *Concitatio* quævis *ad iram*, *mærorem* ſimilesque animi affectus vehementiores aut exorbitantes, intercipienda. *Solitudo* cane pejus & angve evitanda, quin conſortium potiùs & amicum Colloquium, cum familiaribus & cognatis, inſtituendum. Ceterùm ubi talium occaſio nulla eſt, non niſi *Precibus* ſeriis & devotis tempus exigendum: Neque emanebit denique aliud, *gratiarum actionibus* Deo dicendis dicandum.

In cujus etiam Nomine, peractis priùs, quas debeo quasque poſſum, pro omni Beneficiorum genere gratiis; laborum & conatuum quorumvis, in Praxi deinceps à me ſusſcipiendorum, eſto Exordium felix, Medium fauſtum, atque, quemadmodum nunc Diſputationis hujus Inauguralis, ſemper lætisſimus ipſique gloſisſimus

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

1.

Eſſentia *Caſtorei cum* ∽*u* ⊖ ♓*ci vinoſo parata* hyſtericas non malè quidem reficit, tàm interno, quàm externo uſu ; internè tamen adhibita obſervata eſt caput repleviſſe.

2.

Superpurgationes & Tormina à reſinis purgantibus, commodè præcaventur ſolutione vel ſubactione earum cum oleoſis quibusdam : quò ſpectat etjam Vitellus ovorum.

3.

Salia, ex incineratis Vegetabilibus parata, præter neceſſitatem tantô numerô parata proſtant in officinis.

4.

Muſica ∽uum inordinatum motum ſœpè non infeliciter temperat. Hinc melancholicis, potiſſimùm eruditis, ſolatium non contemnendum affert. Idem de Maniâ dici poteſt; ad quam referre poſſis affectum Regis Saulis in ſacris commemoratum, non invitis quibusdam Theologis..

5.

Pulli corvini, à Parentibus ſuis, ut creditur, deſerti, quomodo ſuſtententur, ex Hiſtoriâ generationis avium diſcere licet.

6.

Cardinem Diætæ qui agnoſcunt ſobrietatem, rectè ſentiunt.

7.

Cui cùm plurimùm faveat Potus Theé & Coffeé, vel ob hanc cauſam æſtimari merentur.

8.

Ebenum Lignum, in ſacris aliquoties commemoratum, an fuerit Gvajacum hodiè dictum, & â plerisque Sanctum appellatum? (ut vult JANUS CORNARIUS *l. 1. Expoſit. in Dioſcorid. mater. med. cap. 108. p.m. 64.*) dubitare liceat.

9.

Magnô interim cum fructu, in multis magnis morbis, uſurpari Decocta Gvajaci aliorumq; Lignorum & Radicum, certum eſt.

10.

Undè etiam â Sennerto aliisque Practicis non temerè in apoplexia laudantur.

11.

Quorum loco, qui *Eſſentiam aut Tincturam Lignorum D. M.* crebrò uſurpant, non parem quidem effectum, attamen non exiguum ſæpè ſentiunt uſus fructum.

12.

Præſertim, ſi conjungatur illi Liquidum aliquod alcalicum.